


1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.





THEOLOGIA

PHILOSOPHIA


VIRTUS

HONOR



JURISPRUDENTIA

MEDICINA



Jacob, ab heyden sculptor excudebat.

DODECAS
 QUÆSTIONUM ⁴³
JURIS MISCEL-
LANEARUM:
 QUAM ^{1629.4.}
 DIVINA FAVENTE CLEMENTIA,
 PRÆSIDE
 AMPLISSIMO, CONSULTISSIMO ATQUE
 EXCELLENTISSIMO VIRO,
DN. CASPARO BITSCHIO,
 JURIIUM DOCTORE ET ANTECES-
 SORE IN CELEBERRIMA ARGENTORA-
 tensium Academiâ, Juridicæ Facultatis Seniore, nec
 non Codicis Jurisq; Feudalis Professore Publ.
 Fautore atq; Præceptore suo perpe-
 tim venerando,
Publicè & Solenniter examinandum proponit
 Ad diem Februarij.
Gorde von Lühoro/
 Eq. Megapol.
 ARGENTORATI
 Typis JOHANNIS REPLI, Anno 1629.



INDEX
QUESTIUM
JURIS MISCER
L. A. N. B. M. U. N. I. V. E. R. S. I. T. A. T. I. S. S. A. C. H. S. E. N. A. N. H. A. L. T. I. S.
D. M. C. A. S. P. A. R. O. N. I. S. C. H. E. R. I.
J. U. R. I. S. D. O. C. T. O. R. I. S. A. N. T. I. Q. U. I.
P. R. O. F. E. S. S. O. R. I. U. M.
A. M. P. H. I. C. O. S. I. S. C. H. E. R. I.
P. R. O. F. E. S. S. O. R. I. U. M.
D. M. C. A. S. P. A. R. O. N. I. S. C. H. E. R. I.
J. U. R. I. S. D. O. C. T. O. R. I. S. A. N. T. I. Q. U. I.
P. R. O. F. E. S. S. O. R. I. U. M.
A. M. P. H. I. C. O. S. I. S. C. H. E. R. I.
P. R. O. F. E. S. S. O. R. I. U. M.
D. M. C. A. S. P. A. R. O. N. I. S. C. H. E. R. I.
J. U. R. I. S. D. O. C. T. O. R. I. S. A. N. T. I. Q. U. I.
P. R. O. F. E. S. S. O. R. I. U. M.
A. M. P. H. I. C. O. S. I. S. C. H. E. R. I.
P. R. O. F. E. S. S. O. R. I. U. M.



PERILLUSTRI
AC
GENEROSISSIMO
DOMINO,

DN. Peter Henrich

zu Stralendorff / in Goldebeche / Prensberg &
Dornheimb / Domino in Gulin / Ottowitz &
Gleischer / Sacrae Cæsareæ Majestatis Consi-
liario intimo, Camerario, Sacri Judicij Aulici Imperialis Vice-
praesidi, & Sacri Romani Imperij Vice - Cancellario,
Domino cognato meo clementi & gra-
tioso S.

PX quo, divinâ favente gratiâ, Peril-
lustris ac Generosissime Domine co-
gnate, Domine clemens, omnique pie-
tatis genere colende, & Parentum meorum
consilio ad Academias, tanquam ad mercatu-
ram bonarum artium, profectus sum: quan-
tum conniti animo potui, quantum labore con-
tendere, in eam unice curam incubui: ne, cum
omnia suppeditata sint ab Illis benevolè, egomet
mibi defuisse, atq; inanis redire, dedecorans &
generis celebritatem & nominis; sed ita studio-
rum negotiationi instare voluisse viderer: ut
) (2 discen-



DEDICATIO.

discendi laborem potius, quam voluptatem in
 me fuisse existimarent ij, quorum imitanda in-
 dustria non parvam expectationem sustineo.
 Rationes itaque cum temporis tum sumptuum
 Parenti meo carissimo editurus, *Quaestiones*
 aliquot Iuris, ut non admodum protritae, ita
 maximè spinosae & difficiles, selegi, easque in
 pagellas hasce coactas, publicae censurae submisi:
 ut ex iis, velut scintillis quibusdam ingenii
 mei, perspiceret, neque se oleum, neque me ope-
 ram omninò perdidisse: verum, si bonorum ho-
 minum favor deinceps accesserit, non me inu-
 tile, & majorum tantum imaginibus subni-
 xum pondus; sed virtute etiam propria orna-
 tum quandoque Patria civem futurum.

Quoniam verò ad metam anhelanti, non
 modò salutaribus admonitionibus Tuis, Vir
 Perillustris ac Generosissime, stimulum mihi
 per acutum, & incitamenta varia addidisti:
 sed candidus in primis in alendam & efferendam
 ad gloriam virtute nascente fuisti; gratius mi-
 hi nihil accidere posset, quam si vicissim in Te
 aliquod memoris animi mei vestigium, par
 meritis Tuis, extaret: Veruntamen, dum quid
 inter Magnitudinem Tuam, & mearum vi-
 rium

DEDICATIO.

rium ac facultatum tenuitatem interfit, penitius contueor; spes referenda gratia, quae capere auctoritatem Tuam valeat, omnis protinus mihi concidit. Ne tamen, dum minus referre gratiam possum, habere etiam desinam: sed, quod in compensandis beneficiis leges indulgent, animum duntaxat gratum, qui magna nonnunquam solutionis instar est, profitear: has ipsas studiorum meorum Legalium primitias nomini Tuo Perillustri ac Praesul-gido inscribere, sive, ut vulgò loquuntur, dedicare, necessarium duxi. Tibi itaque, Perillustri ac Generosissime Domine cognate, Domine clemens & gratiose, omnique veneratio-nis cultu prosequende, Disputationem hanc Iuridicam, è censu meo literario depromptam, quàm par est animi submissione lubens meritòq; consecro ac dedico: utq; eam clementer à me, non velut munus aliquod luculentum, quale meritis Tuis debebatur, sed qualecunque cultus officiique mei pignus, & grati animi obsidem ac sponsorem, serenà fronte suscipias: nec quantum, sed à quali profectum sit voluntate, perpendas: etiam atq; etiam à Te contendo. Ne autem Te à gravioris ponderis momen-

) 3 tiq;

1692 1100 1692

DEDICATIO.

*rique negotiis avocando, peccare in commoda
publica videar; hac vice meorum votorum,
summā eò redigo; ut pro eā, quā es erga omnes
bonarum artium sectatores propensione, in me
verò singulari gratiā, non modò, quod dicere
occupavi, munusculum hoc chartaceum boni
consulas: sed cum primis etiam me in eorum re-
periri albo patiaris, quos semel virtutis indu-
striāq; viam ingressos, clementiā, comitate at-
que gratiā Tuā constanter fovere, & ad ma-
gna quæque excitare dignaris. Sic Deus Opt.
Max. Te quā diutissimè superstitem, sal-
vum, & florentem, cum meo, tum aliorum, at-
que adeò universæ Reipubl. Christianæ bono,
conservet. Dabam Argentorati, ipsis Calen-
dis Februarij, Anno, post partum Virginis,
M. DC. XXIX.*

Per illustrem Generositatem Tuam

Submissè ac devotè
colens,

Gordt von Lührow.



DISPUTATIONIS JURIDICÆ.

QUESTIO I.

An ex duobus filiis Regiis, is qui ante adeptum à patre Regnum natus est, in successione præferendus sit postea nato? Aff.

Ratio 1. quia jure Civili nihil interest, an jam in dignitate constitutus filium susceperit, an ante dignitatem. *l. 5. ff. de Senat. l. 8. C. de advoc. divers. judic. l. 2. C. eod.*

in quibus locis omnibus agitur de jure singulari, & certis privilegiis, quæ liberis, etiam viventibus adhuc parentibus, conceduntur. Quare in *l. 2. §. 1. de Decur. Et l. moris §. parentes. ff. de pœnis*, statuitur; legem, quæ vetat decurionum filios atrocioribus suppliciis affici, extendi etiam ad eos, qui antea concepti fuerant. Et non ineleganter ad hunc casum accommodari possunt ea, quæ traduntur in *l. cum quis. 10. C. de nat. lib.* ubi iniquissimum esse dicitur, ut stirps secundæ posteritatis excludat priorem, cum gra-

A

tias

tias agere fratribus suis posteriores debeant, quorum beneficio & occasione ipsi sunt & nomen & ordinem consecuti.

Quia 2. etiam sacra Historia, Regnum Judæorum Joram propter primogenituram obtigisse testatur. *Paralip. 2. c. 21.* & jus primogenituræ valdè observatum fuisse passim II. divinæ testantur, præsertim *Deut. 21. vers. 15.*

Quia 3. si parentes primogenitis sceptrum de manibus extorquent, & juniores Diademate cingunt, ad mutua & funestissima parricidia liberos inflammant, domumque suam fœdant. Hinc ille apud Livium *lib. 10.* frater, inquit, *non commessantium in vicem jam diu vivimus inter nos: regnare utiq; vis, huic spei tuæ obstat ætas mea: obstat gentium jus; obstat vetustus Macedonia mos: obstat verò etiam patris judicium: huc transcendere nisi per meum sanguinem non potes. Omnia moliris & tentas: adhuc seu cura, mea seu fortuna restitit parricidio tuo.* Exemplum & eventum istius prælationis habuimus in *Alphonso. X. Rege Castulonum.* Et in viciniâ Iligerum illud regnum sanguine ferè humano inundatum est, postquam Ludovicus

CUS

397.

cus Pius CAROLUM filium LOTHAR-
RIO primogenito prætulit.

Vide de hac quæstione de Hottom. *illu-
stri quæstione 2.* Försterus *tr. de successionibus*
lib. 4. c. ult. n. 36. Menoch. *de presumptionibus*
lib. 5. c. 33. n. 38. Cujac. *lib. 1. feud. tit. 1.* Schönborn
lib. 2. pol. c. 10. Hænon. *disput. 12. thes. 4. ibique*
allegat.

Q U Æ S T I O II.

*An valere debeat privilegium, ab ipso Impe-
ratore contra leges & jura, etiam privati
alicujus, impetratum? N.*

1. Per expressum textum in *l. rescripta.*
7. C. de Precib. Imp. offic. L. Arriani. 5. in fin. C. de
Heret. & Manich.

Quia 2. quoties princeps dat privilegium
justertii lædere voluisse non censetur. *l. 2. §.*
merito. 10. ff. ne quid in loc. publ.

Quia 3. nemo cum alterius damno & in-
juriâ locupletior fieri debet. *l. 14. de Condict.*
indeb. l. 206. de R. I. imò dolum videtur face-
re, qui ex alienâ iacturâ lucrum quærit, *l. 17.*
§. penult. ff. de Instit. act.

A 2

Quia

*l. 2. §. 10. et v
in loc. publ. l
de admir. tu
l. 1. C. de pri*

Quia 4. privatorum res non sunt in Principis patrimonio: Proinde nec privilegium, quod in damnum tertii cedat, vel injuriosum aut onerosum sit, indulgere potest. *arg. §. ult. ibi, nec cuiquam hom. Instit. his qui sui vel alien. l. 13. §. 1. ff. communia pradio- rum.*

Quia 5. in nonnullis causis inverecundâ petentium inhiatione ita constringuntur Imperatores, ut etiam non concedenda tribuant. *l. 1. C. de Petit. honor. sublat. 10. 12.*

Coll. Jur. Argent. lib. 1. tit. 4. th. 4.

Q U Æ S T I O III.

*An Repræfaliarum usus ratione aliqua
& jure nitatur? Affir.*

Usu enim exigente & humanis necessitatibus, gentes humanæ jus Repræfaliarum, quæ instar justorum bellorum sunt, sibi constituerunt. *§. 2. I. de Jur. nat. Gent. & civ. l. 40. ff. de Leg. l. 1. §. 2. & 3. ff. quod cujusque univers. nom. l. 10. §. 16. ff. quæ in fraudem credit. l. 7. ff. ad L. Corn. de Vi privat.* Cum enim exteri Principes aut Magistratus Rerum-
pub.


pub. pro juris & justitiæ administratione in
causis liquidis crebrò requisiti, eam suppli-
canti manifestè denegârunt, aut ex negli-
gentiâ dolóve protraxerunt; tum si ob di-
versitatem Jurisdictionum, ac territorio-
rum distantiam, alia juris obtinendi via
non superest, & gravis nihilominus iactura
metuenda esset ei, qui de iure suo conse-
quendo desperat, ad Repræfaliarum præsi-
dium, quo mediante ius denegatum tri-
buitur, præmissis modò & adhibitis iis, quæ
Repræfalias antecedere debent, non im-
meritò propter malitiam hominū (utcun-
que id cum molestiâ aliorum, qui ipsi cum
creditore nihil vel contraxerunt, vel adver-
sus eum deliquerunt, fiat,) recurritur: ut
quod exteri in nostrorum odium tribuere
noluerunt, ob amorem suorum solvere co-
gantur, ad eamque necessitatem adigan-
tur, ut cupiditate liberandi cives in fontes,
fontem solvere condemnent iis, qui succe-
danei & piaculares ob contumaciam alio-
rum facti sunt.

Plura de hâc quæstione desiderans adeat
Covarruv. in *c. peccatum*, part. 2. §. 6. n. 4. vers.

A 3

Hinc

Hinc denique Bald. *in tr. de Reprasal.* Joh.
Jac. à Canib. *in tr. de Reprasal.* Martin. Lau-
dens. *in tr. de Repras.* Petr. Heig. *part. 1. quæst.*
12. Gail. *lib. singul. de pignor. observ. 2.* Sebast.
Medices *de conserv. poss. n. 395. & seqq.* Bodin.
1. de Republ. c. ult. p. 269. Petr. Wefenbec. *consil.*
17. nu. 34. & seqq. & consil. 46. Roman. *cons.*
48. per tot. Alb. Gent. *2. de Iur. bell. 1.* Jodoc.
Damhoud. *in prax. crim. c. 98. nu. 9. & seqq.*
Fernand. Vasq. *in l. si quis in suo, §. legis. n. 13.*
& seq. C. de Inoffic. test. Felin. c. accedens cl. 2.
n. 13. extr. ut lite non contest. Coler. *de Process.*
execut. part. 1. c. 2. nu. 303. Bartol. *tr. de Repra-*
sal. quæst. 2. Bald. *in Auth. sed omnino. C. ne*
uxor pro marito. & Wefemb. in Comment.
ad d. Auth. n. 31. Petrum Frid. Mindanum,
part. 1. de Processib. c. 47. n. 2. Henning. Goed.
cons. 106. Schurpff. *consil. 15. & 24. centur. 3.*
Myns. cent. 6. observ. 1. Colleg. Jur. Argent.
lib. 48. tit. 7. thes. 10.



QUÆ.

Q U Æ S T I O I V.

An hodiè, si quis in subditos suos nimis sæ-
viat, à superiore cogi possit, ut ju-
risdictionem suam ven-
dat? Affir.

Quia 1. nemini licet supra modum in
suos subditos sævire: *l. constante. 24. si mari-
tus. 5. ff. solut. matrim.* sed maior asperitas
Dominorum à principe coërcetur. *l. 1. §. 1.
ff. de His qui sui vel al. jur. §. 2. Instit. eod. tit. l. 2.
§. dominorum. ff. d. t.* ita ut vel durius habi-
tos, quàm æquum est, vel infami iniuriâ af-
fectos, venire iubeat, ne in potestatem do-
mini revertantur. *d. loc.*

Quia 2. licet Domini iurisdictionem
habeant & potestatem in suos subditos, eâ
tamen non abuti, sed moderatè uti debent:
cùm non modò Dominorum, verùm et-
iam Reipubl. interfit, ne quis re suâ, vel sibi
concessâ, malè utatur, *§. penult. Instit. qui
sui vel alien. jur. sunt.* malè autem tractans
subditos suos, dicitur malè tractare rem
suam. *Jason. in prælud. feud. n. 69.* & Domi-
nus reddere debet mutuas vices suis subdi-
tis, eorùmque jura conservare; Aliàs enim
nomi-

225
nomine Domini esset indignus. Grammat.
decis. 104. n. 13. & 14. Bald. c. 1. n. 8. in fin. titul.
quod Dominus feud. propriet. priv. cum sub-
diti ex iisdem nobiscum constant & alan-
tur elementis, eundemque ab eodem prin-
cipio spiritum ducant, & firmiter creden-
dum sit, Deum non minorem curam eo-
rum habere, quam Dominorum: cum o-
mnes, ut ait Apostolus ad Galat. 3. filij Dei
simus per fidem, quæ est in Christo Jesu, &
neque servus sit, neque liber.

Tuentur haec sententiam Baldus, con-
sil. 400. lib. 5. in prælud. feud. Rofred. in rubr.
Sacramentum cujuslibet vasalli. Spec. in tit.
de Exact. n. 3. Boër. elegant. decis. 132. per tot.
Grammat. decis. 104. per tot. Zasius singul. in-
tellect. lib. 1. c. 3. nu. 79. cum seq. Gomez. lib. 2.
variar. resolut. c. 2. n. ult. Mynsing. sent. 5. ob-
serv. 8. Pac. de Empt. & Vend. ex. 213. mem-
bran. 4. Gail. 1. observ. 17. n. 2. Schneid. Instit.
de His qui sui. n. 6. vers. 2.

225 0 225
225

Quæ

Q U Æ S T I O V.

Utrum legitimati per Rescriptum principis ad feudi susceptionem admittantur? Neg.

1. Per expressum textum 2. *Feud. 26. §. Naturales si de feudo defunct. contentio sit ubi exiat: Naturales filij, licet postea fiant legitimi, ad susceptionem feudi nec soli nec cum aliis admittuntur.*

Quia 2. legitimatio filii naturalis, in filiorum legitimorum præjudicium facta, non est rata: cum iniquissimum foret, ut illegitimè nati, sint ejusdem vel etiam melioris (ut fieret, si in feudis succederent) conditionis, quàm ex legitimo matrimonio editi: neque jus civile legitimationem per rescriptum principis admittit, cum alii sunt liberi. Secus tamen erit, si expressè ad feuda sint legitimati: quod consentientibus & Domino feudi & filiis, & agnatis vasalli, qui in hoc feudo ius habent, debet fieri. *l. cum pater 79. §. libertis 27. ff. de Leg. 2. l. in concedendo 8. cum duabus ll. seqq. ff. de Aq. & plur. accend.*

Hanc sententiam defendunt etiã Myns.

B

5. obs.

u A-



5. obs. 42. Gail. 2. obs. 141. n. 2. & obs. 142. nu. 12.
Alvar. ad §. Naturales. nu. 8. Clarus in §. feu-
dum. quest. 82. nu. 4. Schraderus de Feud. part.
7. c. 8. n. 22. & seqq. Zasius in Epitom. feud. part.
8. in fin. Wefenb. in not. ad Schneidevv. Instit.
lib. 3. tit. 1. rubr. de Success. fratrum ex uno latere
tantum. nu. 36. Hartm. Pistor. 2. quest. Jur. 41.
Joh. Borcholt. cap. 7. n. 48. Boc. cl. 5. disput. 18.
th. 7. Coll. Jur. Argent. lib. 25. tit. ult. th. 10. Ro-
senthal, de Feud. c. 1. conclus. 15.

Q U Æ S T I O VI.

An plebejus, adoptatus à nobili, fiat
nobilis? Neg.

Quia 1. hujusmodi adoptato necessa-
ria veræ nobilitatis requisita non compe-
tunt. Hanc enim non efficit fictio aliqua
juris aut commentitius in nobilem fami-
liam transitus: sed cognatio, nataliū splen-
dor & jus. l. 3. C. d. com. & mercat.

Adoptio autem, licet imitetur naturam,
§. 4. & 8. l. de Adopt. l. 16. ff. eod. l. 23. de lib. & po-
stum. & commento quodam faciat l. 76. ff. d.
C. & D. ut quis sibi aliquem ad vicem natu-
ralis pignoris adscribat: l. 4. C. de Decur. 10. 31.

ius

401.
jus tamen sanguinis vel consanguinitatis
non adfert. l. 23. § 44. ff. de Adopt. § 3. Instit. de
Nupt. l. 7. l. 10. § 8. de In jus voc. l. ult. § ult. ff. de
bonor. poss. contra tab. Generis quippe nobili-
tas cum sit habitus, fictione aliqua juris ex
parentis adoptivi familia ac nativitate in
adoptivum transfundi nequit.

Quia 2. Plebejus, adoptatus à nobili, fi-
nitâ adoptione, nullum ex pristino retinet
vestigium, sed transit in familiam patris sui
naturalis, § 2. Instit. de Adopt. § 14. l. de Her. que
ab intest. defer. & dignitatē, per adoptionē,
quæsitâ finitâ eâ deponit. l. 13. § 14. ff. de adop.
Quòd si igitur nobilis esset etiam is, qui in
adoptionem nobilis acceptus est; tum esset
talis tantum, quam diu in familia nobili ma-
net: emancipatus verò, nomen filii nobilis
amitteret: exemplo l. 6. pr. ff. de Senat. l. 10. § 2.
C. de adopt. Moribus autem nostris non con-
venit, nobilitatem temporalem habere:
arg. l. 34. ff. de Adopt. cum vera nobilitas tali
aliquo modo non amittatur: sed perpetuâ
generis atq; sanguinis profapia in longam
posteritatem propagetur.

Vide de hac quæstione plura apud Eliam

B 2

Ro-

Robert. *disput.* 3. *th.* 11. Cothman. *disput.* 6. *cor.*
6. Oleman. *disp.* 4. *n.* 26. & *seqq.* Matth. Steph.
cent. 1. *illustr. questio.* 44. *lit. c.* Cuiac. 56. *con-*
fil. Bodin. *de Repub. lib.* 3. *cap.* 8. Tiraquell.
tr. de Nob. c. 17. *n.* 20. Menoch. *latè 2. arbitrar.*
judic questio. 99. *cent.* 1. *cas.* 67. Hœnon. *disput.*
2. *thes.* 21.

Q U Æ S T I O VII.

A liceat feram vulneratam ex territo-
rio suo persequi in territorium
alterius? Affir.


1. Per textus Juris expressos in §. *illud* 13.
Instit. de rer. divis. & l. naturalem 5. §. 1. *de acq.*
rer. dom. adeò, ut persequentem feram vulne-
ratam, & in persecutione ab alio aliquo impe-
dito, danda sit actio adversus impedi-
entem, sive iniuriarum, exemplo *l. 13. §. ult. ff. de*
Injur. sive in factum: exemplo l. 55. ff. de acquir.
rer. dom.

Quia 2. iure gentium inspecto & natu-
rali ratione, nihil interest, feras bestias utrū
in suo quis capiat, an in alieno. *Genes. 1. vers.*
28. §. feræ 12. *Instit. de rer. divis. l. 1. l. 3. in pr. & §. 1.*
l. naturalem 5. §. 1. *l. in laqueum* 55. *de acquir.*
rer.

rer. dom. l. 3. §. item feras 14. l. locus 26. de ac-
quir. poss. Multò igitur magis licebit vulne-
ratam iam bestiam ex suo territorio perse-
qui in territorium alterius: cùm plura acci-
dere posse videantur, ut feram, incolumem
adhuc, non capiamus, quàm fauciatam.

Quia 3. hoc ipsum inductum Friderici
Ænobarbæ constitutione: *Alciat. 11. parerg.*
c. 2. & in multis Germaniæ locis ita obser-
vatur: imò cōsuetudine Trebatii opinionē
dd. loc. relatā probari scribit *Accurf. ad d. §.*
13. Et de hoc quoq; est textus Iuris Saxonici
in *art. 61. lib. 2.* ubi dicitur: *Jaget ein Man ein*
Wild ausser dem Forst / vnd folgen ihm die Hund in
den andern Forst / er mag wol nachfolgen / also das
er nicht blase / noch die Hund anheke / vnd mißthut
dran nicht / ob er das Wild sähet / seinen Hunden
mag er wol wider ruffen. adde gl. Reichbilds. ar-
ticul. 122. n. 12.

Vide de hac quæst. plura apud Schneid.
ad §. feras. n. 5. Instit. de rer. divis. Colleg. Jur. Ar-
gent. lib. 41. tit. 1. thes. 17. n. 5.



An qui contra prohibitionem in alieno
territorio venatur, captum fa-
ciat suum? Neg.


I. Per *l. laqueum 55. ibi, utrum in meo. ff. de Acquir. rer. dom.* cum alias nihil operaretur prohibitio: contra *l. ult. C. de Negot. gest. l. 17. § 22. C. de R. U.*

Quia 2. rationi non est conveniens, ut is, cui invito Domino non licet ire per agrum alterius, *l. per agrum. 11. C. de Servitut.* sed armata etiam manu prohiberi, ne ingrediatur, potest, *secund. gl. in l. 3. verb. prohiberi. ff. de Injur. fac. l. 29. §. 1. ff. ad L. Aquil. ad eod.* ut contra prohibitionem ingressus teneatur actione injuriarum, *exemplo l. 13. §. ult. de Injur.* vel actione in factum, *juxta d. l. 55. de Acquir. rer. dom.* ut, inquam, is nihilominus suum faciat, quod capit: cum nemo ex suo delicto præmium reportare debeat. *l. 10. §. 1. ff. sol. matr. & sit perquam ridiculum, eum, qui minoribus pænæ causa prohibitus est, ad majora aspirare. l. 7. §. ult. ff. de Interdict. § relegat.* Secus tamen esset in eo, qui præscripsisset jurj venandi in fundo alieno. Is enim
pro-

prohiberi non posset. de quo vid. *consil. t.*
 Hieron. Schurpff. *cent. 3.*

Quia 3. furtum facere videtur, qui contra prohibitionem domini, eoque invito, feram lucrificandi animo contrectat. nihil igitur suum facit eorum quæ cepit: cum de facto tantum, non etiam de iure, id cepisse videri possit ac debeat: *arg. l. 5. C. d. ll. sed domino fundi acquiritur, quod in huiusmodi venatione captum est, quamvis possessionem eius nactus non sit: cum novum non sit, ut ex facto aliorum dominium alicuius rei acquiramus, quamvis ii animum nobis acquirendi non habuerint, exemplo l. 25. §. 1. in fin. de Usur. §. 30. §. 39. I. de rer. divis. l. 63. ff. de acquir. rer. dom.*

Idem probat glossa in §. *fera. verbo, ingrediatur I. de rer. divis.* Harpprecht. *ibid. n. 17. §. seqq.* Gilken. *ibid. n. 11. §. 12.* Wesenbec. *ibid. u. 7.* Gothofred. ad Schneid. *d. §. n. 7.* Cuiac. *lib. 4. obs. 2.* Vigelius in *methodo iuris controversi lib. 3. c. 3. Regul. 7. except. 5. C. I. A. lib. 4. tit. 1. th. 17. n. 3. §. 4.*



QUI

*An cum diversa Religionis muliere
nuptia sint contrahen-
da? Neg.*

Quia 1. lex divina manifestè prohibet,
ne populus Israëliticus matrimonia ineat,
iugumque ducat cum illis, qui Idololatriæ
dediti sunt, & seducere fideles possunt.
Deut. 7. vers. 3. 4. & 2. Corint. 6. Quæ enim est
communicatio inter lucem & tenebras?
quomodo consentit Christus cum Belial?
d. l.

Quia 2. Idololatræ Regni Dei sunt in-
capaces. *1. Corinth. 6. vers. 10.* mulier autem ta-
lis ducenda est, quæ iuxta D. Petrum in *Epi-
stol. 3. vers. 7.* sit coheres gratiæ: quod fieri
non posset, si alter coniugum vero Deo, al-
ter Idolis serviret, cum id Deus quàm ma-
ximè abominetur: Et impium esset, velle
fieri unum cum eo, qui colit Idolum sive
Deum alienum.

Quia 3. huiusmodi nuptiæ prohiben-
tur etiam iure Civili. *arg. l. 1. de R. N. §. 1. Instit.
de patr. potest. & quidem expressè in l. ne quis
6. C. de Inda.*

Quia

Quia 4. improbantur etiam Jure Canonico. *c. cave. 15. Et c. non oportet. 16. caus. 28. quest. 1.* ubi habetur: Cave alienigenam: hoc est, hæreticam & omnem alienam à fide tuâ, uxorem accersas tibi: simul ad orationem nocte vobis surgendum, & conjunctis precibus observandus Deus. *d. c. 15.*

Quia 5. in liberorum educatione metuenda est alterius partis seductio, & clandestina animorum distractio: sicut docent exempla Samsonis, Herois fortissimi: *Jud. 16.* Salomonis, Regis sapientissimi, *lib. 1. Reg. c. 11.* indeque liberorum divisio, ut parens filios in suâ, mater verò filias itidem in suâ Religione informet; quod in rei veritate aliud nihil est, quàm id, quod carissimum in mundo parentibus esse debebat, cum Diabolo partiri.

Quia 6. impossibile est, coalescere in civilibus conjugum animos, nisi in ipsâ actionum summâ, Religione puta, prius conveniant. Illa enim est vinculum & coagulum, per quod omnis societas cohæret: & timor Dei custodit hominum inter se societatem, per quam vita ipsa sustinetur ac gubernatur. *Lactant. de Ira Dei. cap. 12. Cicer. de nat.*

C

Deor.



Deor. quomodo enim mihi fidelis sit, qui Deo non est?

Huic sententiæ accedunt Philipp. Melanch. *in examine question. an liceat Christiano. &c.* & Magnus nostræ Religionis Theologus Mentzerus *in tract. de matrim.* Alber. Gent. *lib. 2. de Nupt. c. 19.* Radulphus Fornerius *lib. 3. rer. quot. c. 29. Weseembec. in par. de R. N. in fin.* Felix Bidenbach. *in tr. de caus. matrim. quest. 5. latè Covarruv. parte. 1. c. 7. §. 11. Beust. de matrim. c. 37.*

Q U A E S T I O X.

Utrum in nuptiis filiorum familiars præcisè necessarium sit, ut iussus parentum præcedat: an verò Rati habitio sufficiat? Prius affir.

Primò vi verborum, quæ in *pr. I. de Nupt.* expressè ponuntur. Quoties autem expressè iussus præcedere debet, ibi non ficta, quæ fit per Rati habitio nē, sed vera præcessio requiritur: prout manifestè evincunt verba *l. Dotis promissio. 68. ff. de Iur. dot.* ubi disertè dicitur, licet pater postea consenserit, ta-
men

men Nuptias non fuisse videri, sed novum
matrimonium. Unde in *l. si uxor. 13. §. 6. ff. ad
L. Iul. de Adult. uxor*, quæ antequam pater
Nuptiis consensisset, cum alio rem habuit,
jure mariti accusari negatur. add. *l. 66. de R.
N. & l. 11. ff. de stat. hom.*

Quia 2. quod ceu formale ac solenne ex-
igitur requisitum; id non potest per æqui-
pollens expediri. Jussus autem & consen-
sus parentum, ut formale ac solenne re-
quisitum in nuptiis filiorum familiâs exigi-
tur, & antecedere debet. Non igitur per æ-
quipollens, quale existimatur Rati habitio,
nuptiæ filiorum fa. expediri possunt. Cōsen-
su autē parentum non præcedente, ceu for-
mâ; ne quidem nuptiæ aliquæ esse possunt.
argum. *l. 9. §. 3. ff. ad Exhib. l. 6. §. 1. ff. de aur. arg.
l. 13. §. 1. de V. S.* Quod autem non est; id neque
ratum haberi potest: cum non enti, nulla
tribui possint accidentia. argum. *l. 116. de U.
O.* & hæc est sententia Baldi, dum in *l. exe-
cutorem. col. 4. C. de Execut. rei judic.* ait; Non
sufficere rati habitioem, quando manda-
tum à lege vel statuto pro forma requiri-
tur.

C

2

Hanc

Hanc sententiam ulterius confirmat
Cujac. 3. obs. c. 5. Cont. 1. disput. 1. 7. Hottom.
illustr. quest. 9. Ernestus Cothman. 1. Respons.
n. 72. § nu. 237. § nu. 660. Jason in l. universa
Cod. de precib. Imp. offer. Nicol. Everhard. con-
sil. 8. n. 19. Joachim. à Beust. tr. de matr. c. 46.
n. 211. Basil. Monner. in tract. de matr. cap. 8.
p. 44. Forsterus disput. 3. th. 31. Arum. disp. 5.
th. 10. Inst. Baldus in l. executores col. 4. Cod.
de execut. rei jud. Felin. in c. cum dilecta. de re-
scriptis in 6. Borcholt. de grad. Bald. in l. fin. §.
necessitate. C. de bon. lib. Donell. lib. 13. comm.
20. Hilligerus d. loc. lit. u. Lindeman. exercit.
Inst. tit. 10. disput. 1. thes. 4.

Q U Æ S T I O XI.

*Annuptia, sine consensu parentum in ita, re-
scindi possint, et si copula carnalis
jam fuerit secuta?*

Affir.

1. Per textus expressos in jure Divino
Exod. 22. vers. 16. Deut. 7. vers. 3. § 4. Exod. 20.
vers. 12.

Quia 2. hujusmodi conjunctiones in
jure Civili usque adeò prohibitæ sunt, ut
nec

nec vir, nec uxor, nec matrimonium, nec nuptiæ intelligantur: sed dissoluto tali coitu, ii, qui inde nascuntur, tales sint, quantum ad patriam potestatem pertinet, quales sunt ii, quos mater vulgò concepit; & consequenter nec dotis, nec donationis exactiōni locus sit, §. 12. *Inst. de nupt. l. 38. §. 4. ff. de adult. l. 7. C. de nupt. l. 11. de stat. hom. junct. l. 30. de R. I.*

Oportet enim, ut qui uxorem ducere voluerit, secundum leges & antiquam consuetudinem parentes, vel alios quos decet, petat, ut cum eorum voluntate fiat legitimum conjugium: ut habent verba *l. unic. §. 1. oportet. C. de rapt. virg. juncto pr. Inst. de nupt. v. dum tamen.*

Et quid à recta ratione & ingenuâ mente magis alienum, quàm pietatem & reverentiam, quæ naturâ parentibus debetur, *l. 6. de in jus voc. l. 3. 4. C. de patr. pot. l. si filius. 8. ff. de probat. l. si quis. 5. §. à milite 15. ff. de lib. agnosc. non agnoscere, d. l. 3. Cod. de patr. pot. sed improbè lædere? d. loc. 4. quid stultius, quàm eorum, qui semper consilium pro liberis salubre capiunt, l. nec in ea 22. ff. ad L. Jul. de adult. auctoritatem & consensum te-*


temerario ausu aspernari & negligere: præ-
sertim in matrimonii negotio, quod sum-
mè arduum est? add. Gellius *lib. 2. noct. Att.*
c. 7. § Terent. in Andria.

Quia 3. qui sub patriâ potestate est, non o-
mninò liberū in caput suum arbitriū ha-
bet, arg. *l. 22. de R. N.* nec liberè de se statue-
re aut velle potest. *l. 4. de R. I.* naturaliter
autem absurdum est, ut primò qui de sua
persona nihil liberè potest statuere; possit
quoquo modo velit, Nuptias contrahere:
cùm is, qui Nuptias contrahit, sibi aliquid
asserat. Secundò, ut filius familiâs, qui ni-
hil ex bonis alienare vel obligare potest,
arg. *l. 10. §. 1. de acquir. rer. dom. §. 1. I. per quas
person. cuiq. acquir. Galat. 4. vers. 1. § 2.* pos-
sit tamē aliis copiam sui corporis, in quod
nullam potestatem habet, quòdque longè
præstantius est rebus aliis, facere. *l. 21. C. de
SS. Eccles.*

Quia 4. nemini invito debet suus hæres
agnasce. *l. 6. ff. de adopt. §. 7. Inst. eod. tit. l. 12. §. 3.
ff. de captiv. arg. l. 9. § l. 16. §. 1. ff. de R. N.*

Vide de hac quæstione plura in no-
stram sententiam, apud Oldendorp. *cl. 4.
action.*

action.6. vers. matrimonium non habet. Dua-
renum in tr. soluto matrimonio quemadmo-
dum dos petatur c. 2. vers. ut tamen liberè dicā.
Connanum lib. 8. comm. c. 4. Bezam tr. de re-
pu. pag. 211. Henning. de conjugio pag. 159.
§ 227. Joh. Althus. c. 38. Ernest. Cothman.
respons. 1. n. 198. § seqq. Hottom. illustr. quest.
9. Vult. in jurispru. Rom. 18. n. 91. Arumæum
disput. 2. exerc. 7. Alb. Gent. lib. 4. de nupt. c. 7.
§ seqq. Joachim. à Beust. tr. de matrim. c. 46.
pag. 211. Alexand. in l. 1. solut. matr. Nicolaum
Everhard. consil. 15. n. 6. § seqq. § consil. 96.
n. 9. § consil. 182. n. 6. & Canonistas in c. suffi-
ciat. 2. cap. 27. quest. 2. Bullingerum in libro de
conjugio. Oldrad. consilio 256. n. 4. Paris. consil.
13. num. 42. lib. 8. Menoch. consil. 199. num. 40.
lib. 2. Schneidevv. in Instit. de nupt. per tot.
1. n. 21. Donell. lib. 13. comm.



Qua

An incestuosus liberis alimenta à parentibus sint subministranda?

Neg.

Quia 1. Lex hujusmodi liberos ali à parentibus apertissimè prohibet, *in auth. C. de incest. nupt. & Nov. 89. c. ult.*

Quia 2. ii, qui semel ex odibilibus & propterea prohibitis nuptiis procedunt, nullam participare clementiam debent: sed hoc eis supplicium patrum est, ut agnoscant, quia neque quicquam peccatrici concupiscentiæ eorum habebunt filii. *Nov. 74. c. 6.*

Quia 3. id ipsum à Jure Canonico quoque agnitum, nec mutatum uspiam legitur, *c. per venerabilem. 13. in fin. qui filii sint legitimi.*

Quia 4. si liberi alimenta petunt, iudex cognoscere jubetur, an justè concepti sint, qui à patre ali desiderant. *l. 5. §. 6. ff. de agnosc. & al. liber.* Pater enim non nisi justè conceptos alere tenetur, argum. *d. l. 5. §. 6. cum pater is tantum sit, quem justæ nuptiæ demonstrant. l. 5. ff. de in jus voc. l. 23. ff. de stat. hom.*

*hom. arg. l. 6. ff. de his qui sui vel al. l. 7. in fin. C. de
nat. lib.*

Et hanc sententiam tenent Bald. *in d.
auth. ex complexu. C. de incest. nupt.* Alexand.
*cons. 11. vol. 3. Palæott. tract. de nothis & spur.
c. 34. n. 10. & c. 46. Borcholt de Regal. n. 8. Gre-
gor. Lopez. lib. 1. animadv. c. 32. Coll. Jur. Ar-
gent. lib. 23. tit. 2. th. 7. Treutl. vol. 2. disp. 16. th. 3.
lit. G. & alij relati à Trentacinq. lib. 1. resolut.
3. de Alim. in pr.*

COROLLARIUM.

*Gallus gallinaceus Corydonis, dum assidue
versabatur in granario Amyntæ, ex ejus con-
gressu alba Damonis Gallina ovum peperit:
cui nigra Lycida gallina incubans, pullum ex-
clust: queritur jam, quis ex istis quatuor editi
pulli dominus sit? Ego, exercitiij gratia, pullum
nullius eorum esse, ex jure ejusq; Interpretibus
defendere conabor.*

D Ad



Ad Nobiliss. Dominum RE-
SPONDENTEM.

UNdique, LÜTZOVI, quitant à laude Tuorum,
Et longà Gentis nobilitate, nites;
Cur proprià Virtute paras Tibi gloriam? & ausis
Egregius nomen vis celebre esse Tuum?
Scilicet, ignavi est, meritis se efferre suorum: &
Degenerem, generis gloria sola beat.
Maclè animo, & magno molimine, Nobile pectus:
Sic Generi Ipse decus, sic Genus esto Tibi.
Non licet obscuro Tibi vivere: magna manet Te,
Seu bona, seu mala erit, Fama: tuere bonam.

Boni ominis & voti causà. F.

M U I R A T I O P r æ f e s .

SI genus illustrat? LÜTZOVI nobilis ortus,
Si decus armorum? pariterque insignis in illis,
Si Themidos radii præclarà luce coruscant?
In primis istos inter quantum emicat ille,
Omnibus hæcce satis sinuosi themata Juris
Ante oculos statuunt, queis nec caligine mentis
Invidia officiet, rumpant licet ilia Momo.
Gratulor ergo tibi, felici & sidere cæpta,
Hæc Deus omnipotens voveo ut letissima faxit:
Namq; iter hoc Fama, modo perge: hinc itur ad astra.

Amicitia ergò fecit

HENRICUS Bertram/Rostochio-
Megapolit.

F I N I S .

TRA SSBurg, Diss., A627-29



Sl

VD 77







DODECAS
 QUÆSTIONUM ⁴³
JURIS MISCEL-
LANEARUM:
 QUAM ^{1629.4.}
 DIVINA FAVENTE CLEMENTIA,
 PRÆSIDE
 AMPLISSIMO, CONSULTISSIMO ATQUE
 EXCELLENTISSIMO VIRO,
DN. CASPARO BITSCHIO,
 JURIIUM DOCTORE ET ANTECES-
 SORE IN CELEBERRIMA ARGENTORA-
 tensium Academiâ, Juridicæ Facultatis Seniore, nec
 non Codicis Jurisq; Feudalis Professore Publ.
 Fautore atq; Præceptore suo perpe-
 tim venerando,
Publicè & Solemniter examinandam proponit
 Ad diem Februarij.
Gorde von Lührow/
 Eq. Megapol.
 ARGENTORATI
 Typis JOHANNIS REPLI, Anno 1629.

Jacob, ab heyden sculptor excudebat.